



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes
Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

DECRETVM XV.

Cvm experientia constet, multas sæpe mulieres, aliosque, baptizandos comitantes, festivis diebus officium divinum negligere, & sub eodem computationibus nonnunquam indulgere; hinc diligenter advertant Pastores, ut eæ officio divino prius interfint; & ejusmodi ac omnes aliæ computationes severe prohibeantur; & delinquentes ad Nos aut Nostrum Vicarium deferantur, ac severe puniantur. Quod si vero, neque his poenis, ejusmodi abusus tolli posse, advertant; extra necessitatem nunquam nisi prophanis diebus Baptisimum solemnem administrent.

DECRETVM XVI.

Parte I.
cap. 13.
§. 13. &
cap. 14.
§. 9.

Cvm non parva sæpe impedimenta occurrant in causis matrimonialibus, & testimoniis legitimatum; mandamus, ut singuli Pastores librum compactum habeant, in quo, juxta Synodum majorem, scribantur nomina Baptizatorum, Confirmatorum, eorumque Parentum & Patrinoꝝ, & an legitimo thoro nati; itemque matrimonio junctorum & defunctorum; eorumque qui in Paschate confessi fuerint, communicarint aut confessionem neglexerint; juxta formulas, in Rituali Nostro, novissime edito, descriptas.

DECRETVM XVII.

Parte I.
c. 17.
§. 4.

Dolenter deprehendimus in ultima visitatione Nostra, Sacerdotes quosdam tremenda altaris Sacrificia peragere sæpius, & sacrosancta administrare Sacramenta, nihilominus verò, ad longum tempus, saluberrima Confessionis remedia negligere. Iubemus proinde, priorem Nostram Constitutionem, Synodo majore sancitam, renovantes; & volumus, ut singuli Sacerdotes, singulis quindenis, cæteri verò Clerici singulis mensibus, sacra exomologesi conscientias expient, idque non nisi apud probatæ vitæ & doctrinæ sacerdotem. Ne verò aliqua, hac in parte, subrepat negligentia, mandamus omnibus & singulis, ut factæ ejusmodi Confessionis, quot mensibus, Decanis suis fidem faciant; ipsi verò Decani suas confessiones Camerariis probent; & Decani, singulis Synodis, Nobis aut Nostrum Vicario generali, de omnibus his rationem reddant; noverintque, de negligentibus poenas sumendas esse.

DECRETVM XVIII.

Parte I.
c. 17.

Advertimus aliquos abusus in clavium potestate, & absolutos delinquentes à peccatis, & Sedi Apostolicæ & Nobis Synodo majore reservatis. Mandamus proinde singulis

animarum Curatoribus, ne limites suæ excedant potestatis, sed in ejusmodi casibus ad Nos aut Nostrum Vicarium recurrant, vel à Nobis absolvendi potestatem petant; casus verò reservatos accuratè sciant, ne conscientias implicent scrupulis. Volumus autem, per casus reservatos, non alios quam publicos intelligi.

DECRETVM XIX.

Dolenter advertimus, hoc tempore calamitoso non paucos Matrimonii Sacramento conjunctos in gradibus prohibitis, & hodieum in continuo vivere incestu, decertos vero esse ab iis, qui crassa quidem inscitiâ, (si non malitiâ) ejusmodi facultatem sibi usurparunt. Mandamus proinde omnibus & singulis animarum Curatoribus, ut in ejusmodi personas diligenter inquireant, & ut eorum conscientia consulatur, pro legitimo dispensationis remedio ad Nos recurrant. Ipsi verò Pastores non tantum sciant Matrimonii impedimenta, sed aliquoties etiam in anno, pro concione, eadem suis auditoribus explicant.

DECRETVM XX.

Gravissimâ sacrosanctæ Tridentinæ Synodi constitutione mandatas esse proclamationes trinas, singuli Pastores sciant; in iisque se, sine Nostrò licitu, absque gravi peccato dispensare minime posse, nulla vero ratione, extra casum extremæ necessitatis, in privatis ædibus, sed solâ Ecclesiâ, adhibitis testibus, matrimonii assistere debere. Proinde, quæ hic statuta sunt, rigide observanda esse, & contra delinquentes arbitrariis Nos poenis procedere velle, norint.

Sess. 24.
cap. 1.

DECRETVM XXI.

Magno animi dolore comperimus, supernâ quorundam negligentia, tam paucos moribundos Extremæ unctionis Sacramento hæctenus munitos. Mandamus proinde, & per viscera misericordiæ Dei obtestamur Pastores singulos, ut frequenter, pro concione, hujus tam sancti Sacramenti utilitatem explicant, & moribundos diligenter de ea informant, ne illo se solatio privent, sed tantâ gratiâ, adversus dæmonis insultus, muniant.

DECRETVM XXII.

Cvm nihil tam Republicam, quamvis & maximè Ecclesiam, exornet, quam ut omnia in eâ ordine decenti fiant; hinc, ne sacratissimus Hierarchicus ordo turbetur, volumus, ac mandamus Curatis omnibus, ut, si qui Commissariorum Archidiaconalium in impedimentis matrimonii dispenserint, pro

D d 4 valida-